



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

Articulus III. De reliquis ad hanc materiam pertinentibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

Judex in pronuntiando se conformare tenerur.

ARTICULUS III.

De reliquis ad hanc materiam pertinentibus.

1803 **Q**uari potest. 1. an sicafu fortuito res emphyteusi subjecta pereat, pereat Domino, vel emphyteuta? R. id constare ex L. 1. C. de jure emphyteut. ibi: *Si tanta emerferit clades, qua prorsus etiam ipsius rei, qua in emphyteusi data est, faciat interitum: hoc non Emphyteuticario, cui nihil reliquum permansit; sed rei domino, qui, quod fatalitate ingruerat, etiam nullo intercedente contractu habiturus fuerat, imputetur. Sin vero particulare, vel aliud leve contigerit damnum, ex quo non ipsa rei penitus ledatur substantia, hoc Emphyteuticarius suis partibus non dubitet adscribendum.*

1804 Secundo, an teneant pacta inter dominum, & emphyteutam inita, etiam super fortuitis casibus? Resp. idem in cit. L. 1. sic definiti, *constituimus, justum esse, validumque contractum, in quo cuncta qua inter utraq; contrahentium partes super omnibus vel etiam fortuitis casibus, conditionibus scriptura interveniente habitis placuerit, firma illibataque perpetua stabilitate modis omnibus debeat custodiri*, ita, ut, si interdum ea qua fortuitis casibus eveniunt, pactorum non fuerint conventionione concepta.

1805 Tertio, an, si nihil pactum sit de pensione solvenda, vel apocharum exhibitione prestanda, Dominus emphyteutam possit expellere, si neutrum prestitit per totum triennium? Resp. ex L. 2. C. cod. ibi: *Si autem nihil super hoc capitulo fuerit pactum, vel per totum triennium, neque pecunias solverit, neque Apochas domino tributorum reddiderit, volenti ei licere eam a prediis Emphyteuticariis repellere; nulla ei imposterum allegatione, nomine meliorationis, vel eorum, qua emponemata dicuntur, vel pena opponenda: sed omnimodo eo (si Dominus voluerit) repellendo, neque pratendente, quod non est super hac causa inquietatus: cum neminem oporteat conventionem, vel ad-*

monitionem expectare, sed ultro sese offerre, & debitum spontanea voluntate persolvere, secundum quod & anteriore lege nostrinominis generaliter cautum est.

Not. tamen, ibid. subjungi hanc limitationem: ne autem ex hac causa dominis facultas oriatur, emphyteutas suos expellere, & creditum minimè velle suscipere, ut ex hujusmodi machinatione triennio elapso, suo jure is, qui emphyteusim suscepit, cadat; *licentiam ei concedimus, attestacione promissa, pecunias offerre, hisque obsignatis, & secundum legem dispositis, minime dejectionis timere periculum.* Not. autem per Apochas hic intelligi Apocham, seu attestacionem Quæstoris de solutis publicis tributis incumbentibus tali fundo; ejus enim utilitas hæc est, ut Dominus reverso ad ipsum fundo emphyteutico, de publicis illis pensionibus prestitis securus reddatur, ne denuo ab illo exigantur. Si ergo Emphyteuta ejusmodi Apochas, seu Quittantias negligat, statuitur in lege, quod non minus propterea rejici possit, quam ob non solutum canonem.

Quæres 4. quid intelligatur nomine vitalitii? R. per hoc intelligi speciem quandam emphyteusis, nimirum emphyteusim temporalem, quando prædium aliquod, aliave res immobilis vel æquivalenter talis, à Domino conceditur ad vitam unius vel alterius conjugum, ea lege, aut quemadmodum de emphyteusi quotannis pensio solvitur, ita etiam certum quid singulis annis de ejusmodi vitalitio solvatur, & Germanicè dici *Leibgeding*; sicut emphyteusis, seu bona in emphyteusim tradita, *Erblehen/Erbrecht/ Erbbestand/* vel *Erbzünß Gut*; simpliciter *Baurenlehen / Hoffguth*; Emphyteuta, seu Colonus *ein Erbrechter/ ein Güldbauer*; Dominus directus, *Grundherr*; canon, vel laudemium, saltem à rusticis, *Handlohn/ Aufzuggeld/ Auf- und Abfahrts*; quamquam hoc etiam veniat nomine census emigrationis; sed de his hoc loco satis.